

Christi nullum momentum secum ferre, & in nudam de voce litem abire.

Ex 9.

§. I. **I**ta sonat Alloquium: *Et vero quis non videt & controversiam hanc nullum secum momentum ferre, & in nudam de voce litem vel tandem abire?* Verum satis multi sunt, qui istud non vident, sed illustratis oculis longe aliud vident, nimirum ante omnia hanc ipsam *controversiam de communicatione Idiomatum & Majestatis Filii Dei ad H. N. omnino summum secum ferre momentum.* Poterat hoc ex scriptis nostratum & Reformatorum abunde constitisse. An nullum sit momentum, propter quod anathematismis in veteri jam ecclesia exceptus est Nestorius, & purior semper coetus adeo depugnavit, ut vicissim ab illis, qui talibus doctrinis faverent, Eutychianismi accusaretur? Firma interea Allocutori ipsi haecenus fuisse mens videtur, ut hanc controversiam inter inania retulerit. Ita Instit. p. 404. nominare non dubitat, *quae in hac doctrina disputantur, ἰχνοὺς ἐπινοίας, vocabulo a Damasceno ad longe aliud negotium adhibito, subtiles & philosophicas mysterii ineffabilis & incomprehensibilis evolutiones atque anathematismos, quae in dissentientes saeviamus, quae tantum non spirituale lumen affundant, quam consideratio practica, quae fidem nutriat & excitet; niti argutiis metaphysicis, spectris Scholasticis, larvis transcendentalibus, quibus animus haud in melius mutetur; multos non intelligere, quae dicant, & circa quae disceptent, I. Tim. I, 7.* Quae omnia sine laesione veritatis & offensione simpliciorum dici non posse arbitramur. Variat coeterum Autor Alloquii in meritis hujus articuli *de communicatione majestatis ad carnem expendendis.* Nam in dicto Alloquio contendit, *controversiam hanc NULLUM secum ferre momentum.* In institut. vero p. 398. scribit, *totam hanc controversiam pondus HAUD MAGNUM secum ferre,*
C
mox